

einzelne verzeihelt 4. III. 1915.

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CISIDCCCXIII.

18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2



55

57

Quod bene feliciterq; vertat JEHOVA!
DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM
De

UR CHALDÆ- ORUM,

ad Gen. XV, comma VII.

Moderante

VIRO Amplissimo & Excellentissimo

DN. ANDREA SENNERTO,

Lingv. Oriental. P.P. celeberrimo, &c.

Præceptore ac Promotore suo maximopere
colendo,

*Publicè ventilandam
proponit*

M. JOHANNES Fromme / Brandenburg. March.

*Ad diem 19. J. horis matutinis,
in Auditorio Majori.*

19. Nov.

WITTEBERGÆ,

*Anno AERE Christianæ 1719 IX.
Typis Johannis Haken.*



DISSERTATIONES PHILOLOGICAE

UR CHALDAE

ORUM

ab G. A. C. C. C. C.

Medicinae

Magistro

DIANDREA SENNERTO

Magistro Orientali P. P. C. C. C.

Receptor et Professor

Publicus

M. JOHANNES SEBASTIANUS

Abbas

in

WITTEBERG

ANNO

MDCCCLXX

1770





Sumimus à summo Principe principium!



Ceanus sacra Scriptura est, infinitis Doctrinarum fluminibus se diffundens, quem nemo mortalium hauriendo exhauriet. Verè in hanc sententiam, & eleganter simul Siracides, Sapientiæ suæ C. XXIV, 27 28. sqq. (sive, secundum communes Codices, v. 35. sqq.) Βίβλος Διαθήκης Θεῦ

ὑψίστου, ἐμπιπλῶν ὡς Φεῖσων πάντα τῆς σοφίας αὐτῆς, καὶ ὡς Τίγρις ἐν ἡμέραις νέων. *Liber Sapientiæ Dei Altissimi, implens tanquam Phison cuncta sapientiâ suâ, & tanquam Tigris, diebus novarum frugum. v. 28. Ὁ ἀναπληρῶν ὡς Εὐφράτης ὕδασι, καὶ ὡς Ἰορδάνης ἐν ἡμέραις θερισμῦ. Complens tanquam Euphrates doctrinam, & tanquam Jordanis, diebus messis. v. 29. ὁ ἐκφαίνων, ὡς φῶς παιδείαν γνώσεως, καὶ ὡς γνῶν ἐν ἡμέραις τελευτῆς, profert Disciplinam cognitionis tanquam lumen. & tanquam Geon inundat diebus vindemiae. Quis itaq; in tantâ doctrinarum ubertate, non habebit, quod dies noctesque inquiret? Nihil hîc nimium agitur, omnium labor insufficiens est. Innuit idem haut obscure Siracides, cum hæc etiam præcedentibus subnectit v. 30. ἢ συνετέλεσεν ὁ πρῶτος γνῶναι αὐτήν, ἢ ἔτι ὁ ἕξατος ἐκ ἐπιχίρασεν αὐτήν. Ἀπὸ γὰρ θαλάσσης ἐπληθύνθη τὰ διανοήματα αὐτῆς. *Primus non consummavit cognitionem ipsius, & similiter postremus non peruestigavit eam. Supra mare enim abundant cogitationes ejus. Hæc verissimè dicta esse, omnes agnoscunt, qui secum perpendunt, quanti, ex unicâ Sacræ Scripturæ voce, doctrinarum montes emergant, adeoque non frustraneam collocant operam, qui etiam in minimis hîc occupantur, quod vel imprimis Sacræ Philologiæ Studiosis observandum, ut non**



tantum interpretari S. literas; sed & de Interpretibus judicium ferre suo modo possint. Alias hanc in Palæstrâ *κωκυττος* *κωκυττος* est, qui non ipsemet judicium ex Originali fonte, quem probè imbibit, ferre novit, *Judice D. Glassio, Orat. de Lingu. Ebr. necesfit.* Nos hanc vice unicam Locū ejusdam denominationem ex S. Literis brevi disquisitione declarare annitemur. *Faxit Deus feliciter!*

§. I. **I**N insigni illâ Visione Gen. XV, quâ Deus factam Abrahamo tum de Semine, tum de terrâ Canaan promissionem, quasi solenniter repetit, & ad petitem Abrahami evidenti Symbolo, quod eodem cap. v. 9, 10. seqq. describitur, confirmat, eademq; simul symbolicâ confirmatione, de futuris eventibus vaticinatur: Idem ille Dominus, qui se profitetur Protectorem Abrahami, & mercedem ejus magnam, Abrahamo in memoriam revocat pristinum statum, locum & habitationem his verbis v. 7. *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam.* Quæritur hoc loco, quid sit istud Ur Chaldaorum, ex quo eductus dicitur Abrahamus?

§. II. Nos ut tantò commodius de eo nostram exprimere sententiam possimus, primum omnium Textus Sacre attentius nobis inspiciendus est. Ita autem in Fontibus habentur verba: **אֲנִי יְהוָה אֲשֶׁר הוֹצֵאתִיךָ מֵאֶרֶץ כְּשָׁרִים:** Quæ verba Vulgatus exprimit iis, quæ præcedenteth. recensuimus verbis. *Sebastianus Castalio* sensu eodem reddit: *Ego sum JOVA, qui te Ure Chaldaorum eduxi, ut hujus tibi terra possessionem traderem.* Similiter *Junius & Tremellius*: *Ego sum Jehovah, qui eduxi te Ure Chaldaorum &c.* Nec aliter *B. Lutherus* in versione suâ Germanicâ: *Zeh bin der JEVA/der dich von Br aus Chaldaea geführet hat/ daß ich dir dis Land zu besizen gebe.* Ex quâ Versionum collatione patet, constanter ab Interpretibus retineri Hebraicum **אֲנִי**, atque adeo eam illorum esse sententiam, non appellativum, sed potius proprium Nomen hoc loco adhiberi, quo de plura in sequentibus.

§. III. etc



§. III. Ut itaque propius ad veram eruendam sententiam, de Vr Chaldeorum, accedamus, vel maximè explodendæ sunt fabulosæ Rabbiorum & Judæorum nugæ, quibus hanc denominationem obscurant. Illi enim $\tau\epsilon$ אֵש hoc loco per ignem exponunt appellativè, quia אֵש ignem significet; adeoque hæc verba: *Eduxi te de אֵש Chaldeorum*, ipsis notant liberationem ex incendio, seu igne, in quem Abraham à Nimrodo fuerit coniectus, quam in rem sequens narratur fabellâ, in *Medras Haggada*: & referunt etiam hanc R. *Salomon Jarochi*, & *Moses Gerundensis*; sed fusius aliquantulum habetur in *Breschith Rabba*, cap. XXXVIII. hunc fere in modum: Thare Pater Abrahami Idololâtra vendebat imagines. Accidit, ut domo proficiscens, curam rerum suarum relinqueret Abrahamo, qui eorum, quotquot ad emendas imagines accesserant, de ætate suâ quemq; interrogavit; postquam hic XL. ille L. se annorum esse affirmasset: quid ergo, inquit, ejus ætatis homines unius diei statuam veneramini? Inter cæteros & mulier accessit, patinam farinæ adferens, quam Idolis se oblatum venisse dicebat. Abraham, receptâ patinâ, securim arripiens, omnes imagines confregit, exceptâ maximâ, cujus manui ferrum inseruit. Reversus parens, & spectaculi novitate commotus, de re totâ Abrahamum percunctatur. Et ille, delata, inquit, hûc patina cum farinâ erat, ortâque inter statuas contentione, quænam ex omnibus apposito cibo vesceretur, maxima securim arripiens, cæteras confregit. Indignabundus Thare, quærit an ludibrio se Abraham haberet, quippe nullum statuis sensum esse? Subjecit Abrahamus: attende, quid ipse dicas. Quibus verbis auditis, protinus eum Parens ad Regem Nimrod detulit, à quo, post varias disputationes, in igne coniectus, & ab Angelo Gabriele exemptus est. Atq; hûc refertur illud Scripturæ: *Ego sum Dominus, qui te exemi ex אֵש seu igne Chaldeorum*. Paullò aliter res gesta, si-ve ficta potius, narratur à *Mercero* in *Genes.* cap. XI, 28. p. 238. Fabulantur, inquit, Thare de filio Abraham conquestum esse, quod simulachra Nimrod confregisset, ac velut in manum Nimrod Abrahamum filium tradidisse, qui quidem eum vin-

dum in fornacem ignis conjecerit, quod nollet ejus Idola
 adorare. Porrò Haranum, (is erat frater Abrahami, Gen.
 XI, 27.) dum Abraham in ignem conjiceretur, sic apud se
 cogitasse tacitum, aut palam dixisse, si evaderet ex igne, se e-
 jus religionem secuturum; sin minus, Idolum Nimrod. Cum
 ergo Abraham Domini ope ex igne liberaretur, ac rogare-
 tur Haran, velletne Nimrodicum Idolum colere? Illum, cum
 in Abrahami fratris confessione perstaret, in ignem injectum
 non evasisse, quod non tantâ fide, quantâ frater fuisset, ita
 igni exustum interiisse. Hâc ratione volunt Haranum,
 על פני, sive, *in conspectu Patris sui* mortuum esse, ut habe-
 tur Gen. XI, 28. Abrahamum verò liberatum esse. Hûc di-
 gitum etiam intendere videtur R. Moses Maimonides in lib.
 de Idololatriâ & חקות הגוים s. *de statutis gentium*, cum ait:
 כיון שגבר עליהם בראיותיו בקש המלך להרגו ונעשה
 לו נס ויצא להרוג: *Valescentibus apud eos argumentis illius, (A-*
brahami) studuit eum Rex occidere; sed ipse miraculo sibi divinitus
facto, abiit in Haran. Ita verba sonant ex interpretatione Di-
 onysii Vossij. Quid enim aliud vult sibi Maimonides verbis
 istis, ונעשה לו נס, quàm miraculum factum esse Abrahamo
 per liberationem ex igne, seu, vivicomburio, quo ipsum per-
 dere cogitaverunt Chaldæi.

§. IV. Ne prætereamus autem, quod in principio narra-
 tionis hujus habetur de Thare Patre Abrami, quod Idolola-
 tra fuerit, & imagines vendiderit; disquiremus quædam de
 Idololatriâ Familiæ Abrahamiticæ, ante conversionem. Ac
 de Thara quidem vetus opinio est, Tharam primum fuisse
 statuarum repertorem, unde Epiphanius lib. I. adversus hæ-
 reses, c. I. ait: *Ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλασία ἀπὸ πηλουργίας*
καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς Ἐθάρρα ἔτυ τέχνης. *Ex eo tempo-*
re simulachra ex argillâ, figlinâq; opere reperta sunt, artifice Thara.
 Sed hoc in dubio relinquimus. De Idololatriâ verò Thare
 abunde nobis constare potest ex Jos. XXIV, 2. ubi Josua ad Ju-
 dæos, in comitiis Sichemiticis congregatos, sic ait: *Trans*
fluvium habitaverunt Patres vestri, ab initio Thare Pater Abrahami
& Nachor; SERVIERUNTQVE DIIS ALIENIS. Hic sanè
 Thare

Thare ipso etiam nomine inter Idololatrias, qui Diis alienis
servierunt, recenletur. De Idololatriâ verò Abrahami ma-
ior est controversia. *Augustinus L. XVI. de Civitate Dei, Cap. XII.*
& *Eucherius Lugdunensis*, qui etiam verba *Augustini* repetiit
Lib. I. in Genes. Cap. IX. ea, quæ hic de cultu alienorū Deorum
dicuntur, ad Abrahamum non referunt; sed eum potius ab
Idololatriâ absolvunt. Nos verò statnimus, Abrahamum
ante vocationem suam utique Idololatriæ etiam fuisse immer-
sum, idque probamus ex antea adductis Josuæ verbis, ubi de
Patribus Judæorum, & in specie de Thare & Abrahamo, itēq;
Nachore, in universum pronunciat, *quod coluerint Deos*
alienos. Vide *B. Gerhardum ad Genes. c. XII. p. 283.* Sed
Quæstionem istam, cum non sit presentis tractationis, pluri-
bus non explicamus; conferatur interim Th. VIII.

§. V. Reliqua deinde narratio de *Ur Chaldeorum*, & A-
brahamo in illum conjecto, tota fabulosa est, in cerebro Rab-
binico nata. Neq; veremur, hunc ei titulum assignare, licet sa-
tis antiqua sit, licet etiam à magnis quibusdam Doctoribus
tradatur, teste *Johanne Mercero in Genes. c. XI, 28.* dum ait :
Fabulam, quamvis à magnis Viris afferatur, non reformidabo appel-
lare, ut Epiphanio &c. B. Hieronymus expresse fabulam nomi-
nat, quæstionibus, sive, traditionibus in Genesin. Pro eo,
inquit, *quod legimus in regione Chaldeorum;* (*ἐν τῇ χώρᾳ τῶν χαλ-*
δαίων,) in Ebræo habetur אֵיךְ כְּשָׂרִים id est, *in igne Chaldeo-*
rum. Tradunt autem Hebræi ex hac occasione ejusmodi FABU-
LAM: *Quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare no-*
luerit, quem Chaldei colunt, & DEI auxilio liberatus, de Idololatriâ
igne profugerit. Quod in sequentibus scribitur egressum esse Tha-
ram cum sobole suâ de regione Chaldeorum: pro eo quod in Hebræo
habetur, de incendio Chaldeorum: quod videlicet, ignem nolens ado-
rare, igne consumtus sit. Non igitur multis hîc nobis labo-
randum; sed fabula hæc eâdem facilitate rejicitur, quâ à Ju-
dæis profertur.

§. VI. Aliter sentiendum de *Ur Chaldeorum*: quam in
rem usum etiam vocabuli אֵיךְ, qui in Sacris Scripturis locum
habet, non omnino negligemus; quamvis non statuamus
loco



loco appellativam hujus vocis significationem. **אור** pro foco
 accipitur, (ita volunt) in quo lucet ignis. *Jes. XXXI, 9.*
אור בציון ; יְהוָה אֱשֶׁר נָאָם *Dixit Dominus, cujus i-*
gnis s. focus est in Zion, & furnus in Jerusalem. Quo loquendi
 modo indicatur, quod Dominus velut domicilium habeat,
 & sedes fixas ac focum in Ecclesiâ, familiariter cum suis agens,
 & versans inter suos, tanquam domesticus aut Paterfamiliâs :
 quemadmodum non malè *μαεφεζει Mercerus.* Deinde *Ur* si-
 gnificat etiam convallem, vel, planitiem inter montes ; ade-
 oque omne foramen aut fissura, in plano decumbens, sic vo-
 catur. Hæc significatio locum habet *Jes. XXIV, 15.* **עַל-כֵּן**
אָרוֹר יְהוָה כְּבָרוֹ יְהוָה ubi **אור** in Plurali habetur, atque ita
 vertitur locus à *Mercero*: *Propterea in Planis, seu regionibus con-*
vexis, Dominum laudate. *Försterus* hoc modo in Lexico p. 16. *In ca-*
vernâs glorificate Jehovah. Sunt itaq; *Förstero* **אָרוֹר** cavernæ,
 quas veluti per *ἀντιφεσι* ita vult dici, quod careant luce, at-
 que sic significationem nomini **אור** contrariam hîc haberi.
Vulgatus locum *Esaïæ* ita vertit: *Propter hoc in Doctrinis glorifica-*
te Dominum, ubi **אָרוֹר** *Doctrina* exponitur, sicut & *Deut.*
XXXIII, 8. LXX. Interpretes ἀλλήθειαν vertunt. *Castalio* origi-
 nalem à luce petitam significationem sequitur, & sic inter-
 pretatur: *Ergo Jovam: ergo Jovæ Israëlitarum Dei nomen honora-*
re per claritatem, & putat respectum haberi ad monile Pontifi-
cis; verum Merceri & Försteri interpretatio procul dubio est
præferenda. Ex hâc observatione patet, quod, etsi vocabu-
 lum **אור** ignem & lucem originaliter significet, transferatur
 tamen etiam ad denotanda loca & habitationes, sicut ex ad-
 ductis exemplis id probatur.

§. VII. Quibus præsuppositis adeo non acquiescimus
 in generali vel originali significatione, quâ *Ignem Vox* **אור**
 denotat; sed statuimus, quod explicanda sit de sede aut ha-
 bitatione Chaldæorum, quemadmodum etiam *LXX. Inter-*
pretes, *Gen. XI, 28,* ita vertunt: *ἐν τῇ χάρα τῶν χαλδαίων,* ubi
 in fontibus est : *In Ur Chaldæorum;* insuper vero putamus
 nomen **אור** hoc loco esse nomen Proprium Civitatis in Chal-
daï,

דאָא, quæ fuit Patria Thare, Abrahami, Harani & Nacho-
 ris, quo modo ipse *Aben Ezra*, & multi alii interpretantur, ita
 ut *Försterus* dicat, omnes propemodum Interpretes habere il-
 lud vocabulum pro nomine Civitatis. Probamus autem as-
 sertionem nostram 1. Ex Gen. XI, 28 ubi hæc habentur ver-
 ba: *Mortuusq; est Haran ante Thare Patrem suū, in terrâ Nativita-
 tis suæ, in Utr Chalæorum.* Ubi *Utr Chalæorum* vocatur terra;
 igitur non est ignis, seu incendium. Deinde vocatur terra
 nativitatis, ideoque fuit Patria Harani, qui fuit frater Abra-
 hami. 2. *Ex consensu Interpretum*, quia omnes propemodū,
 ut supra etiam monuimus, retinent Hebraicam vocem *Utr*, eo-
 que ipso testantur, nō appellativè accipiendam esse; sed po-
 tius ut nomen proprium. 3. *Ex confessione Rabbinorum pro-
 priâ.* Ut enim nihil dicamus de *Aben Ezra*, qui eandem tu-
 etur sententiã, certè *R. Maimonides*, in *Libro de cultu stellarum
 ac planetarum, sive de Idololatriâ*, expressè fatetur, nomen loci,
 seu Urbis esse, cū ait: כִּין שֶׁהַכִּיר יִרְעֵה הַחַיִּיל לְהַשִּׁיב
 ; תְּשׁוּבוֹתָ עַל בְּנֵי אֵיר כְּשָׂרִים Postquam accuratam ejus no-
 titiam adeptus est, (*Abrahamus*) capit reddere responsa adversus
 habitatores *Utr Chalæorum*. Si *Utr* habitatores habuit, certè
 loci aut civitatis nomen est; in igne enim non habitaverunt.
 4. *Hoc Civitatis nomen aliis etiam Scriptoribus notum est*, in
 specie *Josèpho*, itemque *Eupolemo*, *Eusebio*, *Ammiæno*, *Plinio*
 & aliis, uti postmodum videbimus.

§. VIII. Potest verò ex mente Judæorum, in contrarium
 sentientium, illud nobis opponi, quod in eo ipso loco, ex
 quo hanc appellationem tractamus, nempe Gen. XV, 7. De-
 us non sine insigni emphasi dicat: Ego sum, qui te eduxi ex
Utr Chalæorum: quâ educatione, quam *Deus* sibi peculiariter
 tribuit, insigne aliquod miraculum, & liberatio Abrahami,
 necessariò significatur, ut in illo, cū dicit *Deus*: Ego sum,
 qui te eduxi è terrâ *Ægypti*. Ideoque videtur *Abrahamus*
 ex igne liberatus esse à Domino. Verum, etsi minimè ne-
 gandum sit, insigne miraculum notari, quo illinc fuerit libe-
 ratus *Abraham*; nulla tamen consequentia est, ad illam spe-
 cialem corporalem liberationem ex vivo comburio. Est sanè

B

infi-

infigne beneficium divinum, quod liberatus est Abraham ex corruptione illâ, & idololatriâ communi hominum illius loci & regionis, unde nisi fuisset eductus, periculum erat, ne cū aliis in Idololatriâ permaneret ac periret. *Pererius* quidem, *Delrio*, & alii negant, Abrahamum unquam fuisse Idololatram, quia non de Abrahamo, sed de Thare tantum, ipsius Parente, & de Nachore dicatur, quod idola coluerint. Respondet *B. Gerhardus*. quod numerus pluralis, *PATRES VESTRI*, *Jos. XXIV. 2.* complectatur etiam Abrahamum, à quo genus suum Israëlita potissimum arcessiebant, ac ipsa connectio textus, *tuli ego Abraham*, manifestè indicet, Abrahamum non posse hîc excludi. Consentiant *Lindanus Lib. I. Panopl. Cap. II.* *Genebrardus & Masius in C. XXIV. Josuæ*: Et ex Judæis *R. Moses Maimonides* haut obscure id fatetur *libr. de Idololatriâ, sive Dissert. de cultu stellarum ac planetarum*, dum ait: ולא היה לו מלמד ולא מודיע דבר אלה משקע בעיר כשדים בין עובדי עז המפשים ואביו ואמו וכל העם עובדי עז והוא עובר עמהם. Quæ verba sic interpretatur *Dionysius Vossius*: *Neg. erat ei (Abrahamo) Doctor, aut ullus omnino, qui ei quidpiam indicaret; sed in Vr Chaldaeorum submersus erat inter fatuos idololatræ. Pater autem ac Mater ejus, omnisq; populus, idola colebant, & ille una cum iis.* Vbi non tantum Patrem ac Matrem; sed ipsum etiam filium Abrahamum, Idola coluisse, asserit.

§. IX. At inquis: Potest etiam dici liberatus Abrahamus à persecutionibus, ob veram religionem, quæ sustinendæ ipsi fortè fuissent, nisi educatione istâ, ab Idololatræ manibus esset ereptus. Cæterum, *Gen. XI, 31.* dicitur de Thare, quod Abrahamum & Lothum, & Sarai nurum suam, eduxerit de *Vr Chaldaeorum*, atque sic 1. Ipse Thare, cujus instinctu dicitur Abraham in ignem missus, fuit in *Vr Chaldaeorum*, qui tamen in igem nunquam est coniectus. 2. Abraham à Thare Patre suo dicitur de *Vr Chaldaeorum* eductus, à quo tamen in igne non est servatus, sed potius, si Judæis credimus, Nimrodo traditus, atque sic in *Vr Chaldaeorum* inductus, non eductus ex eodem fuisset, contra præsentem textum.

§. X.

§. X. Contra secundam rationem nostram, illud etiam obduci potest, quod LXX. *Interpretes* non retinuerint nomen Ebraicum רָבֵעַ , sed illud exposuerint per $\chi\acute{o}\epsilon\gamma\upsilon$ s. Regionem. *Respondemus*, utiq; istud vocabulum adhiberi à LXX. *Interpretibus*; sed tamen eo ipso non everti, quin potius stabiliri nostram sententiam. Non enim hi ignem vertunt; sed regionem, terram, seu, territoriam, adeoq; sanè vel nomen generale loci adhibent, vel idem pro proprio loci nomine ponunt. Nempe LXX. *Interpretes* non tantum in Genesi C. XI. & XV. ubi vocabulum רָבֵעַ in eâ significatione, quam nos defendimus, habetur; sed etiam *Nehemia IX, 7.* (ubi tamen *Vulgatus*: *eduxisti eum*, sc. Abrahamum, *de igne Chaldaorum*, $\chi\acute{o}\epsilon\gamma\upsilon$ dicere maluerunt, ad ambiguitatem evitandam, ut indicarent, non incendium, sed locum aliquem significari à *Mosè*.

§. XI. Cùm igitur constet nobis, *Vr Chaldaorum* Civitatem esse, non malè fecerimus si ea, quæ ex Sacris, vel aliis etiam Historicis, de hâc Vrbe notanda sunt, breviter annotaverimus, ut ita *Mosis* textus lucem hinc qualemcunque accipiat, & quæ porro hîc dubia circa illum moveri possunt, evanescant. Et quod nomen hujus Civitatis attinet, hæc, uti in Sacris *VR*, ita alio nomine etiam *VRIE*, item *Camarina* dici perhibetur, ut constare potest ex *Eupolemo*, qui scripsit de *rebus Judaicis*, ex cujus *Eupolemi* opere, de *Judæis Assyriis*, hæc tradit *Eusebius*, Lib. IX. *Præparat. Evang. C. XVII.* Ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνη, ἣν τινὰς λέγουσιν πόλιν Ὀυρίνην. εἶναι δὲ μετὰ τὴν Ἰερουσαλὴμ καλεομένην χαλδαίων πόλιν. *In Vrbe Babylonia Camarinâ, quam nonnulli Vrien appellant; id autem significare Chaldaorum Civitatem.* *Plinio* vocatur *VR A* siquidem ea est Civitas, quam memorat Lib. V, cap. 24. *Ita fertur (Euphrates) usq; Vriam l'cum, in quo conversus ad orientem relinquit Syria Palmyrenas sordidines.* Nonnullis item *Vroë* vocatur, sicut & regio tota ob eandem causam *Orxon* *Ptolemao* dicta est.

§. XII. Unde verò nomen *Vr*, quod ei in Sacris tribuitur, hæc Civitas habeat, non immeritò quæritur? *Mercerus* in *Genesi C. XI*, ait: *Ego Vr cum AbenEzm, & aliis, pato loci no-*



men in Chaldaa fuisse, Patria Thare, Abrahamus & aliorum, qui hic nominantur, nomine ei indito, ob causam nobis ignotam, forsitan quod aut illic planities esset insignis, aut illic ignis aliquis celebris fuisset, aut quod illic ignis coleretur. Sed non opus est, ut multum dubitemus, aut causam denominationis ignotam aestimemus. Placet nobis sententia Försteri in Lexico, p. 16. Etsi omnes prope modum Interpretes sent. ant, esse nomen Civitatis; tamen certum est, ab igne habere appellationem, quem Chaldaei pro Deo coluerunt: nam cum vidissent olim, igne caelitus de lapso, sacrificia Patriarcharum consumi, putarunt esse DEVM.

§. XIII. Minus verò dubia erit hæc sententia, si quæ de ignis cultu, præcipue apud Chaldaeos ab Autoribus annotata sunt, hic observemus. Et in genere quidem constat, Ignis cultum fuisse latissime diffusum, apud plerasque ferè gentes. Persæ enim, ut ex Jul. o Firmico, Curtio, & aliis constat, ignem coluerunt; à Persis ignis cultum acceperunt Cappadoces. Ita Vulcanus, per quem partim ignis, partim ejus artificium intelligebatur, in Diis erat Ægyptiorum. Similiter à Græcis cultus est ignis, & à Romanis, sub nomine Vestæ. Longum verò esset, omnes populos, ignis cultores, recensere; id potius nostri instituti erit, videre, an Chaldaei etiam sacrum honorem Igni attribuerint? quod omnino affirmandum putamus. Nam ut plurima alia Autorum testimonia omittam, quæ de cultu illo testantur, creditur certè ignis cultus à Chaldaeis primùm profectus esse, siquidem Nimrod primus, ut ajunt, ignem colere jussit. Qua de re Scriptor Chronici Alexandrini, p. 64. hunc in modum: Αὐτὸν Νίνον τὸν Νεβρωδὸς οἱ Ἀσσυριοὶ προσήγορεύσαν. Οὗτος δίδασκει Ἀσσυρίους ἑβειν τὸ πῦρ. Ἐνθεν καὶ πρῶτον αὐτὸν βασιλέα μετὰ τὸν κατακλιζμὸν ἐποίησαν οἱ Ἀσσυριοὶ ἔτον, ὃν μετωνόμασαν Νίνον. Nimrodo autem cognomen Nini imposuerunt. Hic pro Deo ignem colere docuit. Vnde primum eum post diluvium Assyrii Regem fecere, Nini cognomine imposito. Huc facit etiam, quod produnt Historici, de pugna & litigio inter Chaldaeos, & Ægyptios: Nempe coluisse Chaldaeos ignem pro Deo, quod cæteros Deos, & cætera comburat, sed tandem à quodam Ægyptio Sacerdote victos Chaldaeorum Sacerdotes. vase

se te

se testaceo, cerâ illito, rimarum pleno, ex quo aqua descen-
dens, ignem extingveret, Deum Chaldaeorum.

§. XIV. Admodum igitur verisimile est, uti etiam in præ-
cedentibus utcumque ostensum, ab ignis cultu, qui Chal-
dæis usitatus fuit, nomen **כשדים** huic Vrbi inditum esse. Restat
nunc ut evolvamus etiam, quare **כשדים** *Vr Chaldaeorum*
dicatur. Ac primum quidem additur istud quasi Epitheton,
ut *Mercerus* conjicit, quod forsitan esset alia Vr, ut ab illâ faci-
lius distingveretur, vel ob nobilitatem loci, & regionis. De-
inde adjicitur *Chaldaeorum*, ad denotandum, in quâ regione
esset illa Vr, nempe in Chaldæâ. Ebraicè **כשדים**, dicti sunt à
à **כשד** *Kased*, uno ex Filiis *Nochor*, quem *Melcha* ei genuerat,
cujus mentio fit Gen. XII, 22. Etsi verò eo tempore, quo A-
braham ex Vr profectus est, nondum dicebantur **כשדים**, si-
ve Chaldæi, qui postmodum ita vocati sunt à *Kased*, uti mo-
dò dictum; tamen hîc dicitur *Vr Chaldaeorum* per *Prolepsin*,
tanquam illa Vrbs, ex quâ Chaldæi deinceps erant orituri.
Hâc figurâ in Scripturis nihil frequentius esse, ostendit *Samu-
el Bochartus in Phaleg, sive Geographiæ S. parte 1. lib. III. cap. 4.*

§. XV. Tandem ista *Vr Chaldaeorum*, videtur fuisse Patria A-
brahami, quando Patria Harani expressè nominatur Gen.
XI, 28. cum Haran dicitur mortuus in terrâ Nativitatis suæ, in
Vr Chaldaeorum. Deinde tota familia Thare, in Vrbe istâ habi-
tavit, quando quidem Thare exiens ex *Vr Chaldaeorum*, duxit
secum Abraham filium suum, & Loth filium Aran, filium filii
sui, & Sarai nuram suam, ut ista narrantur Gen, XI, 31. *Objicit*
quidem *Ramban*, qui hîc miris modis se torquet, dum putat,
non *Vr Chaldaeorum* fuisse natale solum Thare, Nachor & A-
braham, & aliorum ejus majorum; sed potius *Mesopotamiam*:
objicit, inquam, nusquam Abraham Chaldæum vocari, sed
tantum Hebræum, quod argumento est, eum nō Patriâ Chal-
dæum esse, sed ex Mesopotamiâ. Verum *Respondemus* cum
Mercero, Abrahamum Hebræum dici, quod ab *Eber* descen-
dat, adeoque hoc in casu **עברי** non tam gentile esse, seu à loco
desumptum, quàm patronymicum: alioqui natione Chaldæ-



us erat Abrahamus, licet tunc nondum Chaldæa sit vocata, ut antea notavimus, sed terra *Nimrod*, vel *Arphaxitis* ab *Arphaxad*. Tantum de

UR CHALDÆORUM:
Coronidis loco subnectimus & hæc
COROLLARIA.

I. Nomen Divinum אלהים, est numeri pluralis, ita quidem ut agnoscat suum singulare אלה: quod asserimus contra *Thomam Cajetanum* Cardinalem. Radix tamen hujus vocis non est אלה, uti sentit *Lombardus*; sed radix ejus verbalis, in Linguâ Arabicâ, est usitata, nempe אלה Deum coluit, adoravit. Vide *Excellentiss. Dn. Prasidem*, de *Divino Nominis Elohim*, p. 6. quæst. 1. Q. autem hic, an ex illo, & præsertim juncto verbo cuidam singulari (e. g. Gen. I. comm. 1. alibi,) mysterium S. S. Trinitatis, vel saltem pluralitas Personarum, in unâ divinâ essentiâ, possit probari? Respondemus cum *Nostratibus*, non quidem præcisè Divinarum personarum Trinitatem, sed potiùs pluralitatem inde deduci posse. Juxta Rabbinos tribuitur Deo, in quantum est Conditor, Gubernator, Judex universi. Metaphoricè assignatur etiam Angelis, quod in ipsis gloria cœlestis, vel divina, refulgeat: Judicibus & Gubernatoribus, quod Dei vices gerant: Idolis, quod pro Deo vero, à suis cultoribus, habeantur.

II. Vox צבאות non est nomen DEI, neque in Sacris Scripturis *Dominus Zebaoth* per appositionem dicitur, hoc sensu: *Dominus, qui est Zebaoth*. Significat enim creaturas Dei universas, in plurali numero. Consule *D. Glafs. Philolog. S. l. b. I. I. Tract. I. Can. IV p. 387.*

III. Nomen קדוש *Esaia VI, 3.* ter exprimitur, non ad indicandam perfectionem Dei summam: quod tribus gradibus ad perfectionem tandem perveniatur, positivo nimirum, comparativo & Superlativo; sed potiùs ad Sacrosanctum Personarum Trinitatis, in unâ Deitate, mysterium indicandum, hæc trina repetitio vocis SANC TUS, à *Seraphina*
cœle-

caelestibus, adhibetur. Evolve *D. Glass. Philolog. S. lib. III. Tract. I. Can. VI. p. 415.*

IV. כְּרוּבִים *Gen. III, 24.* Ebræo-Chaldæa vox est: puerū, adolescentem significans,

V. Nomen JESUS, Salvatoris nostri, non venit ex nomine τετεγγραμματόν יהוה; sed potius à Radice Hebræa יֵשׁוּעַ, sicut ipse Angelus hanc derivationem ostendit. *V. Clariss. D. Waltheri Spicilegium, Controversiâ XIV, p. 204.*

VI. Nomen יהוה proprium & essentielle DEI Nomen est, contra Socinum & Sociennos: auctum ab initio per Jod, à Radice יהוה fait: denominans ipsum ab essendo, idem quod אֱהוּיָה אֲשֶׁר אֱהוּיָה *Exod. III, 14.* Ero, qui ero: Reverà existo, & ab Idolis differo, quæ non sunt, sed finguntur. Vel יהוה potest dici Essentiator, quod essentia & existentia ei soli, excellentissimâ ratione, (ut est pelagus omnium perfectionum) sit propria, & propter quem omnia, quæ sunt & existunt. &c.

VII. Verba hæc. *Gen. IV. comm. I.* קָנִיתִי אִישׁ אֶת יְהוָה acquisi vi Virum Dominum: rectè hunc in modum redduntur; non verò per Deum, Dominum, coram, cum Domino, &c.

VIII. Vox נִפְּלִיִּים Nephilim *Gen. VI, 4.* minimè Gigantes, juxta Vulgatam, significat.

IX. מִיָּם & שָׁמַיִם non derivatur ex מִיָּם & שָׁמַיִם.

X. אִנְשׁ לֵתְּלִיתֵי אֶגְרוֹתָוִיתֵי Notat non modò miseriam & calamitatem, sed usurpatur quoque de insanibili & desperatâ vitiositate, v. g. *Jer. XVII, 9.* Hinc nomen אִנְשׁוֹ הַמָּוֶתֶת homo, vir mortalis, à mortiferâ aegritudine, in quam post lapsum primorum parentum incidit.

XI. עַלְמָה nuspiam in Sacris significat virginem corruptam.

XII. כַּלָּה perfecit, hinc כַּלָּה Sponsa, respectu Sponsi: Nurus, in respectu ad Socerum vel socrum; sic dicta quod priorum vitæ statum, sive virginitatis, sive viduitatis, tunc cum fit,



fit Sponsa, s. uxor alterius, perficiat & absolvat. Vel à perfe-
cto ornatu : Sponsæ enim se perfectissimè ornant, & omnia
sua ornamenta producant.

Laus, honor atque decus, sit Tibi, summe Deus!



Ad
Clarissimum
DN. M. RESPONDENTEM,
Amicum & Fautorem suum amatum,
æstimatumq̃.

Vix tot sunt numero, quot divitis ostia Nili,
Qui Linguis operas cum pietate locant.
Vile putant munus, quod sanctè discutit omnem
Linguarum, SUMMO non nisi dante, sinum.
Fallitur ah! tantas qui fingit mente Chimæras,
Deperdi Linguis tempus & omne putat.
Non facilè sanctos penetrabit quisque recessus;
Nì reseret clausas hæc sibi Lingua fores.
TEque tuosque, sacro dilando in Codice, FROMMI,
Sudores, animum & non sine laude probo.
Oscine perge bono; si sic perrexeris, olim
Scrutator Sacri Codicis ipse eris.

scr. M. LQ;
boni ominis ergo

ANDR. SENNERTVS, P.P.



Aug VI 15


ULB Halle 3
003 865 746


Sb.

Reho
VD 17
KD 18
L







55

57

...tat JEHOVA!
PHILOLOGICAM

ALDÆ.

M,

omma VII.

nte

Excellentissimo

SENNERTO,

celeberrimo, &c.

ore suo maximopere

ndo,

entilandam

onit

e / Brandenburg. March.

poris matutinis,

to Majori.

ERGÆ,

tiana clj Ijc IX.

nis Haken.

19. Nov.

